

Baptismo c. 18. & 8. Augustin. lib. 1. de peccatorum meritis, c. 24. & hanc obligationem adscribendi patrinum supponit clarissime Conc. Trid. sess. 24. de reformat. matrim. c. 2. Unde parochus baptizans solemniter sine patrinis peccaret mortaliter, ut expresse dicit Tannerus in de Baptismo, q. 2. n. 23. Gobat. tract. 2. de Baptismo n. 522. & alii; adhibito enim patrinus est una ex precipuis ceremoniis, & celeberrimis in Jure, ut patet in c. Pervenit. 1. in c. Si quis 2. in c. Nosse 3. in c. Dicitur est 4. in c. De eo 5. caus. 30. q. 3. & in Concil. Trident. sess. 7. cit. 24. c. 2. Non peccatur autem, si sine patrinis administratur Baptismus privatum, quia pro Baptismo privato susceptores ecclesia non instituit, ut declaravit Sac. Cong. Conc. teste Nicol. part. 1. lib. 1. tit. 10. de Nuptiis n. 37.

8. Patrinus Baptismi unus, vel una esse debet, c. in Catechismo 100. c. Non plures 101. de consecrat. dist. 4.

9. c. Quamvis 3. de cognatione spirituali in 6. Vel ad summum possunt esse duo, unus masculus, & alia foemina, ut expresse statuit Trident. sess. 24. de reformat. matrim. c. 2. ibi; "Sanda Synodus... statuit, ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant... Si parochi culpa vel negligentia se necius factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniantur." Nec Episcopus potest dispensare, ut duo viri, vel dua foemina simul suscipiant; cum super conciliari constitutione dispensandi potestatem non habeat. Ita decisum referunt a Sac. Congreg. Zerol. in praxi Episcop. part. 1. verb. Baptismus §. 4. Armendariz in addit. ad recapit. legum Navarrae lib. 4. tit. 15. lib. 1. de Matrim. in declar. n. 75. & alii. Unde qui plures patrinus, vel matrinus adhiberet, peccaret mortaliter, quia preceptum ecclesiae in re magni momenti violaret, ex cujus transgressione multipliciter cognationes sufficientes ad dirimendum matrimonium; Sic decisum fuisse a Sac. Congreg. refert Armendariz loc. cit. n. 84. & cum pluribus tenet Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 2. alleg. 30. n. 44.

12. & de offic. & potest. Parochi part. 2. c. 18. n. 26. Si tamen plures designati suscipiant baptizatum de fonte, omnes contrahunt cognationem spirituales cum ipso baptizato, & cum ejus parentibus; sic Barbosa loc. cit. cum pluribus aliis, & Bonacina de matrim. q. 5. punct. 5. §. 2. n. 24. vers. Quando vero non omnes, & num. 25. qui testatur de communi, & sic decisum fuisse a Sac. Congreg. refert Armendariz loc. cit. num. 82. Et colligitur ex Trident. loc. cit. ubi licet prohibeat, non tamen irritat plurium admissionem ad munus patris, circa hoc enim nihil innovavit, sed reliquit in suo robore canones antiquos, ibi; *Juxta sacrorum canonum instituta*. Sed per antiquos canones, licet prohiberetur pluralitas suscipientium in Baptismo, non tamen irritabatur ipsa susceptio, nec effectus consequens ex ipsa susceptione, scilicet cognatio spiritualis, ut expresse habetur in cap. Quamvis 3. de cognatione spirituali in 6. his verbis: "Quamvis non plures quam unus vir, vel una mulier accedere debeant ad suscipiendum de baptismo infantem juxta sacrorum canonum instituta, si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur, matrimonia contrahenda impediens, & etiam post contracta dissolvens;" adeoque aperte sequitur, quod etiam post Tridentinum illa cognatio a pluribus contrahatur, si a pluribus puer vel etiam adultus suscipiatur de Baptismo, cum Tridentinum loquatur *Juxta sacrorum canonum instituta*; nec ullam ponat clausulam irritantem.

13. Patrinus designare spectat ad parentes, non autem ad parochum; unde si alii a parochi, & si alii a parentibus sint designati, contrahunt cognationem solum designati a parentibus; colligitur aperte ex Concil. Trident. loc. c. his verbis: "Parochus atque parochus ad Baptismum suscipiendum accedat, diligenter ab his, ad quos spectabit, susciscitetur quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat;" ubi clare demonstrat primo electionem Patrinorum non ad parochum pertinere, dum ipse debet inquirere, quinam sint ecclesiis; secundo alios omnes ab electis a parentibus excludendos. Si vero parentes, aut ha-

abentes curam infantis, nullum patrinum designaverint, veri patrinus erunt, quos parochus nominaverit, cum ad ipsum spectet providere, ut omnia circa patrinus rite peragantur, ut patet ex verbis Trident. sess. 24. de reformat. matrim. c. 2. & cum communi tenet Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 57. n. 90. Si autem nullus specialiter esset designatus patrinus ex negligentia, aut oblivione parentum, seu parochi, & multi simul tenendo tangerent baptizatum, aut de fonte aequo suscipiente, omnes contraherent cognationem spirituales, quia attento Jure in c. c. Quamvis 3. de cognatione spirituali in 6. omnes contraherent cognationem tangendo simul, ibi; *Si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur*; cui Jure dispositioni standum est, quando aliud non decernitur Jure novo Concilii Tridentini, ex text. in leg. Cod. de appellat. Ita Barbosa de offic. & potest. Episcop. alleg. 30. n. 47. Navarr. in Manual. c. 22. n. 20. Jacob. de Graffis in dec. aures part. 1. h. 2. cap. 85. num. 4. Coninch. tom. 2. q. 32. n. 37. Henriquez, Vivald. Ledesma, & sic decisum fuisse a Sac. Congreg. referunt Rebel. de obligat. Justitia part. 2. lib. 3. q. 6. n. 5. in appendic. ad lib. 4. n. 95. Reginald. lib. 21. n. 152. vers. Secundum, Bonacina de matrim. q. 5. part. 2. §. 2. numer. 4. Gallemart. ad sess. 24. c. 2. Trident. de reformat. matrim. Et similiter dicit Pignatell. cons. 7. consult. 93. num. 6. & 7. Sacram Congregationem declarasse, si incertum sit, quis ex pluribus, qui tetigerunt, fuit designatus, aut quis primus tetigerit, omnes contrahissent: Sic refert, & tenet etiam Fagnan. in c. Ex litteris 8. de cognatione spirituali n. 5.

17. Levans de fonte infantem tanquam procurator nomine alterius, non contrahit cognationem, sed ipsam contrahit mittens, seu mandans, quia secundum Jura potest quis medio procuratore, quod per se ipsum, Reg. 77. de Reg. Juris in 6. Qui facit per alium, perinde est ac si faciat per se ipsum, & actio tangendi potest alteri committi, & ita principes & magnates semper solent per procuratorem levare infantem, qui tamen iudicio omnium sunt, & appellantur veri Patrinus; Procurator autem, cum non sit designatus, nec habeat intentionem levandi suo nomine, non est vere Patrinus; sic declaravit Sac. Congreg. Concil. in Veron. 29. Mart. 1582. & 15. Mart. 1631. & in Tridentina 16. Mart. 1630. sic refertur, & tenet Nic. part. 1. lib. 1. tit. 10. de nuptiis n. 37. Gallemart. ad sess. 24. c. 2. Trident. de reformat. matrim. & alii passim. Ex duobus patrinis designatis, quorum unus tangit infantem in Baptismo, & alter assistit, sed non tangit, contrahit cognationem solum is, qui tangit. Sic declaravit Sac. Congreg. Concil. in una Cremonens. teste Fagnano in c. Veniens 6. de cognat. spirituali n. 8. & Sac. Congreg. Episc. in una S. Marci 13. Februar. 1593. declaravit non contrahi cognationem ab eo, qui deserit infantem ad Baptismum, nisi etiam illum teneat, vel suscipiat, cum baptizatur, & contrariam consuetudinem esse abusum, ut etiam declaravit Sac. Congreg. Concil. ut refert Nicol. loc. cit. Licet ad munus patris non possint admitti duo ejusdem sexus, possunt tamen admitti, si unus teneat proprio nomine, & alter ut procurator alterius persone diversi sexus. Sic declaravit Sac. Congreg. Concil. in una Veronens. 25. Mart. 1582. Quamvis suscipiens puerum in Baptismo privatim administrato, non contrahat cognationem, ut declaravit Sac. Congreg. Concil. privatim tamen baptizans, cognationem contrahit, etiam si sit laicus, etiam si baptizet in necessitate, unde baptizans filium concubinae morientem, non potest postea cum ea contrahere matrimonium absque dispensatione, c. Pervenit. 1. caus. 20. q. 1. Et sic declaravit Sac. Congreg. Concil. teste Nicolio loc. cit. Si tamen maritus in extrema necessitate baptizaret proprium filium, non impediret debitum petere, textu expresso in c. Ad limina 7. caus. 30. q. 1.

(In confirmationem leg. 77. de reg. jur. in 6. recognoscatur tit. 10. lib. 1. For. Reg. lib. 5. p. 3. tit. 24. lib. 2. Recop. Cast. tit. 28. lib. 2. Ind. in quibus de facultatibus per mandatum concessis tractatur; non obli-viscaris leg. 6. lit. 2. p. 4. ubi per procuratorem posse matrimonium contrahi definitur; etiam ad rem leg. 8. q.

10. tit. 11. p. 5. de promissionibus per alterum factis fit mentio.)

22. Tenentes infantem, dum in ecclesia suppletur solemnes caeremoniae in Baptismo et privatim collato, non contrahunt cognationem. Sic declaravit Sac. Cong. Concil. 13. Jul. 1624. Sic Commater suscipiens puerum de manibus comparis, non contrahit cognationem, quia non dicitur cum tenere, vel suscipere de sacro fonte; Sac. Congreg. Conc. 27. Septemb. 1601. Patrinus & matrina non contrahunt inter se cognationem, quia non impediuntur inter se conjugii ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. de reformat. matrim. & S. Pio V. in constit. incip. Cum illius vicem. Unde maritus, & uxor non peccant, si simul suscipiant, vel teneant alienum puerum in Baptismo, nec prohibetur sibi debitum reddere. Solo enim Jure attento hoc erat eis vetitum propter cognationem spirituales, quam tunc contraherent, quae cum modo sublati sit a Tridentino loc. cit. non video quo Jure prohiberent tenere. Navarr. in Manual. cap. 22. num. 39. Sanchez lib. 7. disp. 57. num. 5. Barbosa l. c. num. 57. & alii passim. Suscipientes, & baptizantes filium Infidelium non contrahunt cognationem spirituales cum ejus parentibus infidelibus, paganus v. g. & Judaei, sicuti haec cognatio spiritualis nec contrahitur inter Infidelem baptizatum, seu suscipientem, & fidelem baptizatum, seu susceptum, & parentes ejus. Et ratio est, quia Infideles, seu non baptizati, nullius cognationis spiritualis sunt capaces; quia unicum hujus principium est Baptismus, quem non habent, ut expresse docet Divus Thomas in 4. dist. 41. quest. 2. art. 3. quest. 1. ad 3. his verbis: "Qui non est baptizatus, non potest aliquem levare de sacro fonte, cum non sit membrum ecclesiae, necius typum gerit in Baptismo suscipiens, quamvis possit baptizare, quia est creatura Dei, cujus typum gerit baptizans, nec tamen aliquam cognationem contrahere spirituales potest, quia est expertus spiritualis vitae, in quam homo primo per Baptismum nascitur;" cum ergo cognatio spiritualis sit qualitas relativa, quae nequit esse inter duo extrema, id est, nequit esse insuscepte, seu baptizate, nisi sit etiam in suscepto, seu baptizato, & parentibus ejus, sequitur aperte, quod si ipsam non contrahant Infideles, nec etiam contrahant fideles; & hanc sententiam tueri mordicus Sotus in 4. dist. 42. q. 1. art. 3. conclus. 2. §. potestne his verbis; Glossa Canonica in caus. 30. quest. 1. illud affirmat; "At vero divus Thomas id meritissime negat, neque in dubium revocari debet, quoniam fundamentum cognationis spiritualis est esse spirituale, quod per regenerationem Baptismi suscipimus, & ideo sicut non baptizatus baptizans nullam contrahit cognationem cum baptizato, ita nec adverso neque baptizatus ullam contrahit cum non baptizato." Sic tenet Barbosa de potest. Episcop. p. 2. alleg. 30. n. 34. & potest. Parochi cap. 18. n. 27. & Trident. sess. 24. de reformat. matrim. cap. 2. n. 24. & 25. Fagnan. in cap. Nobis n. 9. & 10. de Jure patronatus, & in c. Veniens de cognatione spirituali n. 14. Sanchez de matr. l. 7. disp. 70. Ricciul. de Jure patronat. extr. grem. eocl. lib. 2. c. 4. Raynald. in praxi lib. 21. n. 167. Bonacina de matr. q. 5. part. 5. §. 2. Gonzalez in cap. Ex lit. 8. de cognatione spirituali n. 6. Navarr. Valent. Nicolius, Ledesma, Rebuff. Pontius, Reginald. Passerlin. Rosignolus. La Croix, Henricus, in cap. Veniens, de cognatione spirituali n. 1. Alexander de Nervo in cap. Contracto, de cognat. spirituali n. 13. Petrus in constit. 5. Honori III. n. 13. & alii contra Gloss. verb. Ex lavacro in cap. 1. caus. 30. quest. Archidiacon. ibi n. 3. S. Antonin. Rosel. Angel. Cajet. Vivald. Palud. Tolet. Conich. Aversam, Henric. & alios.

29. Immo multi tenent, quod, etsi contingat Judaeum, vel Infidelem deinde converti ad fidem, & baptizari, nihilominus ex actu gesto in infidelitatem non incipiet habere locum cognatio spiritualis, adeoque non impediet contrahere matrimonium cum baptizato, vel ejus parentibus, & similiter parentes Infideles, si convertantur, nisi aliunde impediatur. Nicolius l. 1. Civit. lib. 10. de nuptiis num. 37. Anton. Ricciul. loc. cit. num. 7. Joan. Sanch. in selectis disp. 40. n. 16. Alexander de Nervo in Ferrar. Breviary. Tom. 1.

c. Contracto, de cognat. spir. n. 13. Scotus in 4. dist. 42. q. 1. art. 3. Petrus de Ledesma de matrim. q. 56. art. 1. Rosignol. p. 6. de Baptismo q. 6. art. 2. n. 6. & de matrim. contrahit. 15. prenot. 10. sect. 4. n. 30. La Croix l. 6. p. 1. de Baptismo n. 368. & 369. & varii alii. Et rationem ex eo deducunt, quia quod ab initio invalidum fuit, non potest tractu temporis convalescere. Reg. 18. Juris in 6. & praecipue quia nulla lex invenitur de hoc, & de modo, quo postea resultaret, & convalesceret cognoatione Baptismi praeteriti. Quidquid autem sit, dato casu, quod tales Infideles exposit converterentur, & baptizarentur, & vellent contrahere cum a se susceptis, vel baptizatis, vel cum istorum parentibus, pro tutiori eos consulerem ad Sanctam Sedem pro decisione recurrere, eo quia contraria opinio defenditur a Glossa, Archidiacono, S. Antonino, & aliis gravissimis doctoribus n. 28. cit. & ecclesia sine distinctione, & limitatione statuit cognationem inter omnes tales personas, ut patet ex cap. Ita deligere 1. caus. 30. q. 3. & cap. Veniens 6. de cognat. spiritual. & fere per totum titulum, & ex cap. Nendum 1. & cap. Quamvis 3. de cognat. spir. in 6. & ex Trid. sess. 24. de reformat. matrim. cap. 2.

32. Patrinus potest esse omnis fidelis ad usum perfectae rationis perventus, Concilium Rothomagensense statuit tit. de Sacramentis num. 4. Patrinus esse debet minus quatuordecim annorum, aut alterius competentis aetatis, Tom. 15. Concil. edit. Labbean. col. 827. (Et etiam si esset junior filiastris adulto, & licet adhuc impubes contraheret cognationem spirituales, ut declaravit Sac. Congreg. Concil. quae consulta, an puella novem annorum levans de sacro fonte infantem contrahat cum eo cognationem spirituales? Respondit contractam esse cognationem spirituales, non obstante aetate. Et haec sententia fuit confirmata a Gregorio tertio decimo; qui tamen noluit petitam dispensationem concedere, ut refert Fagnan. in cap. Ex litteris 8. de cognatione spirituali num. 16. & in cap. Veniens eodem tit. n. 18. asserit eandem Congregationem decrevisse, eum, qui plena pubertate baptizatum non praecedit, si ut Patrinus eum tetigerit, contrahere cognationem, quamvis secundum naturam illum generare non potuisset. Non potest autem esse patrinus Infidelis, & qui non est baptizatus, sicuti non potest esse Patrinus in Confirmatione qui non est Confirmatus, textu expresso in cap. In Baptismo, 102. de consecr. dist. 4. In baptismo, vel in chrismate non potest illum suscipere in filium ipse, qui non est baptizatus vel confirmatus. Concil. Aquisiense ann. 1585. De Baptismo Sacramento hoc statutum legitur: *In Baptismo competer haud sit, qui sacro chrismate confirmatus non est*. Idem docet S. Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 3. §. 1. his verbis: *ut debilis accedens baptizandus, ad hoc debet sustentari ab alio, qui tamen sit chrismatus*. Et firmat Romanum Rituale. (Hereticis saltem licite patrinus esse non possunt, quia oves non sunt tradendae lupis, a quibus nulla spes probae educationis in fide sperari potest, quae tamen est finis ecclesiae in designandis patrinis, ut patet ex cap. Vos ante 195. de consecr. dist. 4. & Concil. Arelat. VI. can. 19. Concil. Magunt. can. 47. & Concil. Rhemens. tit. de Baptismo §. 3. & Concil. Mediolan. l. p. 2. tit. de Baptismo. Immo Concil. Rhemens. tit. de Baptismo §. 5. expresse prohibet his verbis: *Multo autem minus Hereticos, vel etiam de haereticis suspectos sinit (Parochus) esse fidei sponsores*.

36. Patrinus licite esse non possunt excommunicati, nec facinorosi, aut criminosi, aut moribus infames. Ritual. Rom. tit. de Patrinis, Concil. Mediolan. l. part. 2. de Baptismo, Concil. Parisiens. VI. lib. 1. cap. 54. quia prohibuitum est cum excommunicatis toleratis habere communionem, praesertim in Sacris, & criminosi, seu moribus infames plus promittunt destructionis, quam instructionis in fide, & pietate, quae tamen est finis ecclesiae in designandis Patrinis, ex textibus, & Conciliis allegatis numero antecedenti. Layman de Baptismo c. 9. n. 2. Gobat tract. 2. de Baptismo, eum 555. Nec Patrinus licite, & ordinarie possunt esse muti, ut ipsos excludunt Ancharan. & Fernandez propter c. Parvuli, de consecr. dist. 4. ut refert Barbos. in Triden. sess. 24. de reformat. ma-

38 trim. cap. 2. num. 11. Nec possunt esse proprii Parentes infantis baptizandi; Ritual. Roman. tit. de Patrinis, & constat ex cap. Pervenit 1. cap. Dicitur est 4. cap. De eo 5. caus. 30. de consecr. & ex cap. Si vir 2. de cognatione spirituali, & docet S. Thomas quest. 67. art. 8. ad 2. adeo ut si extra necessitatem, ac temere parens propriam prolem suscipiat, cognationem spirituales cum conjugate contrahat, ideoque debitum petere non possit, nisi ab Episcopo, seu habente facultatem prius dispensationem obtineat, ut dicitur Henricus disp. 7. de Baptismo q. 5. num. 18. Layman loc. cit. n. 3. Clericat. cap. 116. n. 61. Felix Potestas tom. 1. p. 4. num. 3005. & alii. Sanchez tamen lib. 9. disp. 26. num. 7. fatetur esse probabile, quod nequidem petere debitum prohibeatur patrinus communis filii; & Rosignol. p. 2. de Baptismo quest. 6. de Patrinis art. 2. num. 14. absolute defendit, quod si pater, & mater admitterentur ad suscipiendum proprium filium, non contraheret cognationem spirituales, recte subdens sic debere omnes tenere post Concil. Trident. loc. cit. supr. num. 24. Vide ibi. Monachi, & Regulares utriusque sexus nequeunt licite esse patrinus, cap. Non liceat 103. de consecr. dist. 4. ibi: "Non licet Abbati, vel Monacho de Baptismo suscipere filios, vel commatres habere; cap. Monachi 104. de consecr. dist. 4. ibi. Monachi sibi commatres, commatresve non faciant, nec osculentur feminas; & cap. Placuit 8. caus. 16. quest. 2. ubi: Placuit communi Concilio nostro, ut nullus Monachorum... presumat... neque filium de Baptismo accipere, neque alii qualibuscumque negotiis se implicare, sit claustrum suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio Monachus; sedate itaque solitarius & taceat, quia mundus mortuus est, Deo autem vivit." Et in cap. Pervenit 27. caus. 18. q. 2. ubi Divus Gregorius sic scribit Valentino Abbati: "Pervegnit ad Nos, quod in monasterio tuo passim mulieres ascendant, & quod est gravius, Monachos suos sibi commatres facere, & ex hoc incautam cum eis communicationem habere; ne ergo hac occasione humani generis inimicus sua eos (quo absit) calliditate decipiat; ideo huius te præcepti serie monemus, ut neque mulieres in monasterio tuo permissas ascendere, nec Monachos tuos commatres sibi facere." Et Concil. Coloniens. III. tit. 40. Censura c. 16. ibi: "Quamvis Religiosis omnibus interdicitur sacris canonibus sit, ne parvulus in Baptismo suscipiant, aut nuptiarum conviviis intersint, passim tamen hi canones negliguntur. Sic Idcirco Abbatibus, Prioribus, & Religiosis quibuscumque susceptionem parvulorum in Baptismo, & nuptiarum convivia plane interdicitur, quantavis necessitate, vel parvulis, vel desponsatis jungantur. Contrarium facientes pro transgressionem, & scandalo dato, severa penitentia decernimus castigandos. Concil. Trevirens. c. 11. Religiosi... neque pueros de sacro Baptismi fonte per se, vel per suffectas personas suscipere presumant; Concil. Remens. tit. de Baptismo §. 7. ibi: Numquam verò Monachus patrinus, vel Monialis matrina esse queat." Et juxta hæc omnia fuit in Rituali Romano Pauli V. jussu edito, & publici Juris factio, sic expressè statutum: Præterea ad hoc etiam minus admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujusvis ordinis Regulares à seculo segregati, ex quibus verbis aperte patet comprehendi sub hac prohibitionem, non solum Monachos, sed quoscumque alios regulares, ut censet Layman lib. 5. tract. 2. c. 9. n. 3. Rosignol. p. 2. de Baptismo q. 6. art. 2. de Patrinis n. 18. Felix Potestas tom. 1. p. 4. n. 3007. & alii passim; & idcirco hoc munus solet interdici omnibus regularibus in fere cunctis conciliis provincialibus, & synodis diocesanis. Et expressè decrevit Sac. Cong. Concil. in Mediolanens. 3. Octobris 1671. ad 3. dub. l. 27. decret. fol. 224.

41 Immo à conciliis provincialibus & synodis diocesanis, nedum hoc munus solet interdici regularibus omnibus, sed etiam aliis ecclesiasticis secularibus. In concilio provinciali Aquisini tit. de Baptismi sacramento, sic præcise statuitur, Compater ne adhibeatur regularis aliquis, nec passim clericus secularis Sacris initiatus, aut beneficium ecclesiasticum obtinens. In Concil. Rhemens. tit. de Baptismo §. 7. sic habetur: Parochus in sua parochia, &

initiatu sacris ordinibus in sua residentia, vel beneficii loco pueros sacro fonte non suscipiant. In Concil. Provinciali. Mediolanens. 11. sub Divo Carolo deces. 17. ut constat, ex altis eccles. Mediolanens. p. 4. tit. Institutiones Baptismi de ceremoniis que per ad id Baptismo servantur, sic præcipitur: Nec vero Monachos regulares, clericosve Seculares Sacris initiatos ad infantem de Baptismo suscipiendum adhiberi sinet (Parochus). Et sic interdicitur reperitur in plurimis aliis provincialibus, & diocesanis synodis, quæ brevitate gratia omittuntur, adducendo tantummodo duas ultimas synodos in hac Alexandrina diocesi celebratas, in quarum prima celebrata an. 1711. tit. 4. de sacramento Baptismi decreto 2. sic præcise habetur: Occasione visitationis hujus Alexandrina diocesis inspectum in libris parochialibus baptizatorum contra Ritualis Romani prescriptum sacerdotes, & clericos sacris ordinibus initiatos, fuisse interdum adscriptos, & admittos in commatres, seu patrinus, & aliquando per procuratorem etiam mortales in commatres, & sacramentorum idcirco non esse in hujusmodi munere admittendos, neque in sacramento Baptismi, neque Confirmationis, parochis mandamus, sine nostra expressa licentia in scriptis sub pena aureorum decem pro qualibet vice; & in secunda celebrata 1732. tit. 6. de Baptismo sic statuitur; Prohibeantur à suscipiendis infans à sacro fonte pro sponsore, seu patrinus, & matrina regulares ecclesiasticis, & clericis etiam in minoribus constituti sine expressa nostra licentia.

Plura de Baptismo in hisce articulis congerit Auctor, quæ non bene explicata, vel magis receptis opinionibus contraria videri fortassis possunt. Nos brevitate studentes, quoad prima Lectorem mandamus ad eos, qui uberes tractatus de Baptismo conscripserit, quoad cetera vero contenti fuimus pauca verba uncialibus conclusa suis in locis addidisse. Restat, ut quod anno Domini 1747. à SS. Pontifice Benedicto XIV. super Baptismi administratione decretum est, hic copiosius substatuamus.

Auctor sane in additionibus de Judæorum, sive infantium, sive adultorum Baptismo his contra voluntatem parentum collato locutus est juxta eam, quam Benedictus XIV. anno supraddicti die 28. Febr. decretale epistolam Archiepiscopo Tarsensi direxit super hac re incip. Postremo mense, in ejus Bullario tom. 2. pag. 186. ad 237. in qua hæc continetur.

Cum Antonius quidam Vivianus domum hebrææ ingressus tres ejus filias, quorum major 12. annos non excedebat, baptizasset, consultus Pontifex fuit à præfato Archiepiscopo, Romæ Vicegerente, de hoc Viviani facinore, & de baptizatore puellarum educatione; Benedict. XIV. epist. Postremo mense, num. 1.

Quoniam facta hujusmodi frequenter audiuntur, ideoque in duas partes, in quarum prima discussurus sit, an in vitis parentibus hebrææ infantis baptizari licite possint? Quando id liceat? Cum non liceat, sit ne rarus, an irritus Baptismus imperitus? Quid in praxi observandum? Et quomodo collatio Baptismi sit probanda? In altera vero de adultorum baptizato locutus fuit ibid. n. 3.

Quoad infantem hebræorum, adductis DD. opinionibus, negat, eos posse reluctantibus parentibus baptizari ibid. num. 4. §. 6. At varios excipit casus 1. Si sit in mortis extremo discrimine constituti, 2. Si à parentibus projecti destituti inveniuntur; ibid. num. 83. Si expositi, etiam si repetantur postea à genitoribus, qui eo casu patriam amittunt potestatem; ibid. num. 9. Hic obiter, & qui vere expositi dicantur; ibid. num. 10. & quam servitutem hebræi serviant; ibid. num. 11. & quare in ditione ecclesiastica habitare permittantur; ibid. num. 12. & 13. Pontifex sapientissime suo more explicat.

Transit denique ad tutores, quorum, deficientibus parentibus, consensum ad Infantium Baptismum requirit; ibid. num. 14. & si eorum pater christianus fiat, matris dissensus non officere; ibid. num. 15. & viceversa nec dissensus patris attendendum; si mater christiana consentiat; exponit; ibid. num. 16. immò nec dissensus matris, si mortuo jam patre, avus paternus nepotem baptizari permittat; ibid. num. 17.

Si pater filios christianos fieri velit, postmodum ve-

ro eum poniteat, poterunt, si infantes, baptizari; si adulti, catechizari; ut eorum voluntas exploretur; ibidem num. 18.

Infidelium filii à parentibus ob superstitionem aliquam sacro lavacro mundari permittit, non ut christiani fiant, nam ideo haud regenerantur; ibid. n. 19. quicquid senserit Synodus anno 1148. sub Patriarcha Luca habita; ibid. num. 20. In praxi vero non licet eos baptizare, si in parentum infidelium potestate sint relinquenti, secluso tamen mortis imminentis articulo; ibid. n. 21. ad 23.

Baptismus hebræis infantibus imperitus licet illicite, rarus ille erit, non irritus, non obstante singulari Durandi opinione; ibid. num. 26. & 27.

Hebræorum infantes illicite baptizati, & eorum parentum sunt recuperandi, & à christianis educandi; & si postea à fide desciverint, penis coerendi; ibid. num. 28. & 29. Nec attendenda Calderini opinio, qui existimavit, eos parentibus sub cautione restituentis; ibid. num. 29. & 30.

Qui illicite hebræorum infantes baptizavit, quod ill fecerit, quod ecclesia vetat, Judicis arbitrio erit puniendus, baptizatus autem comprobando unius sufficit testimonium, si testi fides prudenter adhiberi possit, aut si idem testetur, qui baptizavit; ibid. num. 21.

Hæc quoad infantes; quoad adultos vero, qui regulariter tales sunt censendi septennio expleto; ibid. n. 32. his potentibus Baptismus non est denegandus, si de eorum perfecto rationis usu non dubitetur; aliis Sacramentum esset differendum, & petentes retinendi, & insuetudi; ibid. n. 33. 34. & 35. Et parentum consensus non attenditur; ibid. num. 36. & 37. his non obstantibus, quæ à Carolo Magno Imper. & à Sisebuti Hispaniæ Rege facta sunt, quorum si Saxones Idolatras, hic hebræos vi ad Baptismum recipiendum compellere; ibid. num. 38. & 39. Nam ad hoc, qui fidelis nunquam fuit, vi nunquam erit compellendus; ibid. n. 40. Sed adultus tantum recipiendus, qui petat, & idoneus inveniatur; ibid. num. 41.

Tandem inquiri Pontifex, quid dicendum de adultis, quibus non potentibus Baptismum imperitus sit? Eos quidem retineri oportere ait, inquirere à quo, & quomodo fuerit baptizati, & instrui; ibid. num. 42. Si vero dissentisse ex probationibus compertantur, non obstante Glossa in Canon. Solet, de Consecr. dist. 4. invalidum declarandum erit juxta S. Thomam baptismum hiscollatum; ibid. num. 43. Quare debent interrogari, quo animo non postulatim acceperint Sacramentum; ibid. num. 44. Si enim voluntate lavacrum ecclesiæ proprium acceperint, erit validum; ibid. n. 45. Idem dicendum si nulla presentis voluntate id faciendi, sed antecedenti tantum, non retractata; ibid. num. 46. Si vero vultu composito, à mente alienissima accesserint, ac ideo neutra voluntate, invalidum erit; ibid. num. 47. & 48. Tandem si adultus ad Baptismum vi adigatur; & licet vi adactus, tamen accedat, valide baptizatur; si ipsi reluctanti baptismum administratur, erit invalidus; ibid. num. 49.

Ut autem probeatur voluntas adulti, quæ fuerit, cum Baptismum suscepit, is primo est audiendus, non tamen credendus, nisi ejus dicta comprobent circumstantiis; ibid. num. 50. Ex quibus si evincatur, nullam ei fuisse voluntatem, hortandus est, ut rite suscipiat Sacramentum; si noluit, remittendus. In dubio vero, erit baptizandus sub conditione; juxta S. Thomam; ibid. n. 51. Et taliter baptizatus tenebitur christianam fidem observare; ibid. n. 52.

Hic Pontifex antequam epistolæ finem imponat, alia dubia circa hæc materiam solvere opportunum existimat; ibid. num. 53.

Cum à vico sit evocandus hebræus, christianisque tradendus, qui nuntio haud dubio delatus est desiderare baptismum, quando hæc denuntiatio minime dubia erit habenda; ibid. num. 54. Responsum licet unius regulariter non sufficiat, hoc tamen varias habet limitationes, recipieturque in casu nostro testis sive vir, sive mulier, claris suffultus indicis, & conjecturis; ibid. num. 55. Dummodo sit notæ probitatis & fidei. Oportet deinde testem vel testes examinare, & si duo in omnibus concor-

dent, hebræus erit ad catechumenorum domum evocandus; si minus, Judex hebræi voluntatem explorabit, ut vel ad vicum remittat, vel ad Catechumenos amandet; ibid. num. 56. Hoc decretum est à Congregatione S. Officii an. 1727. Benedicti XIII. approbante; ibid. n. 57.

Alteræ quæstio pertinet ad sponsas, & conjuges ab eorum viris fidei oblati christianæ. Notandum autem primo: statim ac vir sacro lavacro inunctus ad secundas nuptias transit, primum solvi matrimonium cum hebræa non baptizata, licet de hac ab aliquibus dubitetur, an ideo libera evadat; ibid. num. 58. 2. Notandum, apud hebræos sponsum in sponsam auctoritatem majorem habere, quam apud christianos; ibid. num. 50. Ideo hebræorum nulla querela est, si sponsus aut vir sponsam, vel mulierem ad fidem offerat; Et hæc oblatio non erit ab ecclesiâ respicienda; ibid. num. 58. & 59. Conqueruntur autem hebræi, aliquando scilicet esse sponsalia, ut possit quis virginem apud nos ducere, quam apud eos nunquam fortasse duxisset; ibid. num. 60. & per hoc dicitur existimant virginis à vico extrahionem, & in domo catechumenorum per quadraginta dies detentionem; ibid.

Hic Pontifex suam ecclesiasticam eruditionem ostendit, de hebræorum sponsalibus tam ex eorum scriptoribus, quam ex Rabbiorum dictis disserens; decernitque, si de contractis sponsalibus ea argumenta adsint, quæ apud Christianos sufficiant, virginem esse evocandam, & explorandam. Si vero probationes etiam apud hebræos contracta sponsalia evincant, tunc statim domum catechumenorum Præpositis esse tradendam. Vide ibi. n. 61. ad 70.

Suppositis tandem hebræorum fraudibus, qui hebræum christianam fidem amplecti cupientem alio mittunt, desponsatam virginem alteri matrimonio conjungunt, sponsalium probationes occultant; vigilantem ecclesiasticum judicem esse oportere, ac penis etiam hebræos in officio ab eo continendos, sedulo inculcat; ibid. n. 71. 105.

Hæc sunt, quæ ab hac decretali epistola extraxisse opus fuerat, ut de Baptismo tractationis coronis imponeretur.

(Postquam in exordio tit. 4. p. 1. assertur, sacramenta quam septem nec plura esse nec pauciora; & leg. 1. ejusd. ratio, propter quam intra dictum numerum, nec supra, nec infra, eadem continentur; inseritur; ceteræ dispositiones usque ad 10. inclusive referunt, quid sit Baptismus; quæ forma efficiendus; quotplex; quam virtutem pro ejus receptione consequitur; responso cuius erit dum confertur; per quem est conferendus; patrinus an sit necessarius, & quot possint intervenire; pena eundem iterantis; janua an sit sacramentorum.

Confertur, per sacramentum Baptismi dari ad cetera ingressum: ideo ordinatus prævia absque hujus conlatione nil agit; debet baptizari, & ordines iterum confici; à Christo Domino nostro, dum in Jordaneo flumine à Joanne voluit baptizari, hoc sacramento instituto, præter anteriorem animæ lotionem leg. etiam 32. tit. 6. p. 1. imprimi, conlato, characterem, patet; verba legis ibi: *To te baptizo en el nombre del Padre, & del Hijo, & del Espíritu Santo, Amen*: ad ejus conlationem necessaria inspicuntur: discretio est baptizantem, & baptizatum intervenienda, & nisi dubium occurrat, iterari nequit; triplicis speciei, *Fluminis* scilicet, *Flaminis*, & *Sanguinis* esse non dubitatur: per idem sacramentum peccata deletentur omnia, & si majorensis fuerit baptizandus, licet penitentia pro ipsis jam præteritis non sit imponenda, dolor omitti nequit: hæc virtutem consequetur, à quocumque, christianus, judæus, paganus, hæreticus, vir, aut mulier fuerit, baptizetur, si faciendi quod intendit ecclesiæ catholicæ, voluntate confertur: in hac actione primas Presbyteri habent partes, leg. 9. tit. 6. ejusd. Diaconus, & Subdiaconus successive: sed necessitatis tempore quivis, etiam baptizandi pater, nec propterea ad carnalem copulam aliquod oritur impedimentum, (videtur quoque leg. 12. tit. 2. & leg. 1. usque ad 7. exclusive tit. 8. p. 4. ubi de cognatione spirituali, ex Baptismo, & Confirmatione proveniente agitur) illius erit minister; si fuerit adultus, nec impeditur, cui est conferendus, per se præbere responsum debet, in parvulis patrinus est requirendus; sicut à quopiam conferri valet, non ita om-

nes possunt patrini seu fidejussores esse, præsertim ratio- nis usu carentes, & infideles: valide tamen, istis inter- essentibus, confertur, tenet-Baptismus, sed nomen Pa- trini, quod patri spirituali convenit, aut æquivalere non obtinent; idem in Confirmatione, quamquam, si duo fue- rint, suscipiatur; denique iterari nequit, secus si fac- tum fuerit, Clericus aut Prælati deponitur, ab ordini- bus ille, ab ipsis, & dignitate iste: laicus, ad eos non debet promoveri; præmonstrantur etiam in dictis legibus rationes, cur hoc sacramentum non est iterandum, & qua- re sic esset numerus Patrino circumscriptus: nec omit- titur referre leg. 14. & 15. ejusd. tit. 4. p. 1. partes, & quare, in quibus oleo benedicto, & chrismate ante & post Baptismum est unguendum qui hoc sacramentum reci- pere cupit, videlicet in pectore, scapulis, vertice, & fronte; conducit recognoscere addition. hisp. verb. Irre- gularitas, in fin. Nec officit retinere quæ in fin. pag. 72. verb. Etas, pag. 130. verb. Anima, post num. 10. pa- gin. 140. verb. Annus Probationis, post n. 53. p. 194. verb. Approbatio, post num. 111.; nullus per conse- quens demarbitur, si inspicatur quæ hic sunt animad- versa. Ad n. 53. lex 1. r. 23. lib. 4. For. Reg. 4. r. 20. p. 4.)

BARBITONSORES. Vide verb. Festa, Festivitates num. 122.

BEATIFICATIO, BEATUS. Vide verb. Veneratio Sanctorum.

BELLUM.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt ejus esse, divisionem, & Justitiam.

SUMMARIUM.

- 1 **BELLUM** differt à seditione, rixa, & duello: **Bellum** quid sit.
- 2 Quid sit seditio.
- 3 Quid sit rixa.
- 4 Quid sit duellum.
- 5 **Bellum aliud est justum, & aliud injustum.**
- 6 **Bellum justum quale sit.**
- 7 **Bellum injustum quale sit.**
- 8 **Bellum justum est duplex, unum defensivum, & alterum offensivum.**
- 9 **Bellum justum defensivum quale sit.**
- 10 **Bellum offensivum ad hoc ut sit justum tres potissimum conditiones requirit.**
- 11 **Prima conditio qualis sit.**
- 12 **Qualis sit secunda.**
- 13 **Et qualis sit tertia.**
- 14 **Priusquam bellum instituat debet proponi, & indicari causa parti adversa, que si offerat convenientem satisfactionem, debet acceptari, nec potest juste bellum inferri, nisi neganti satisfactionem, usque ad n. 17.**
- 18 **Assignantur præcipue justa causa in particulari, propter quas potest bellum indicari, & inferri, usque ad n. 28.**
- 19 **Bellum non potest esse ex utraque parte justum materialiter, & à parte rei.**
- 20 **Potest tamen ex utraque parte esse justum formaliter, licet sufficit opinio probabilis pro justitia belli, si tamen justitia manet æqualiter dubia, & alter sit in possessione, non licet ei bellum indicare.**
- 21 **Subditi in dubio pro justitia belli pro rege ad bellum eos vocante præsumere possunt, eique parere, & militare, dummodo certo non constet causam esse injustam.**

BELLUM proprie dictum differt à seditione, rixa, & duello, quia bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam. Seditio est pugna multitudinis contra

multitudinem ejusdem reipublicæ, seu communitatis. Rixa est pugna paucorum contra paucos. Et Duellum est pugna singularis unius contra unum. Est in re communitatis. Bellum aliud est justum, & aliud injustum. Bellum justum est publica armorum assumptio solo animo republicæ tuendæ, vel vindicandæ facta; colligitur ex cap. Dominus noster 2. caus. 23. q. 2. ubi ex verbis S. Augustini sic præcisè dicitur: *Justa autem bella defini- ri solent, que ulciscuntur injurias, si qua gens, vel civitas, que bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbe factum est, vel reddere quod per injuriam ablatum est.* Bellum injustum est publica armorum assumptio sola nocendi cupiditate, ulciscendi crudelitate, rebellandi feritate, aut dominandi libidine, vel alio simili animo facta; colligitur ex cap. Quid culpatur 4. caus. 23. q. 1. ubi ex verbis S. Augustini sic habetur: *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia his sunt, que in bellis jure culpantur.*

Bellum justum est duplex, unum defensivum, & alterum offensivum. Bellum justum defensivum est, quo vis per injuriam illata vi repellitur: Et hoc non solum publica, sed etiam privata auctoritate collibet est omni jure permissum, cum collibet liceat omni jure vim vi repellere, & se, suaque tueri, ut habetur in l. 3. de justitia, & jure. Bellum offensivum est, quo vis inferitur injuria vindicandæ causa; & ad hoc, ut sit justum, tres potissimum requiruntur conditiones, ex communi cum S. Thoma 2. 2. q. 49. art. 1. in corpore, ubi sic habet: *Ad hoc quod aliquod bellum sit justum, tria requiruntur.* Prima conditio requisita est legitima principis supremi auctoritas. Primo quidem dicit S. Doctor, auctoritas principis, cujus mandato bellum est gerendum; non enim pertinet ad personam privatam bellum movere, quia potest jus suum in judicio Superioris prosequi. Et hæc prima requisita conditio colligitur ex cap. Quid culpatur 4. caus. 23. q. 5. ubi verbis S. Augustini sic habetur. *Ordo tamen ille naturalis mortalium paci accomodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes Principes sit.* Secunda conditio requisita est causa justa. Secundo, dicit S. Doctor, requiritur justa causa, ut scilicet illi, qui impugnantur propter aliquam culpam, impugnationem mereantur; & hæc secunda requisita conditio colligitur ex cap. Dominus noster 2. caus. 23. q. 2. ubi ex verbis S. Augustini sic habetur: *Justa autem bella solent defini, que ulciscuntur injurias, si qua gens, vel civitas, que bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbe factum est, vel reddere quod per injuriam ablatum est;* & cap. Justum est 1. caus. 23. q. 2. ubi ex verbis S. Isidori sic habetur: *Justum est bellum, quod ex editio geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hostium causa.* Tertia requisita conditio est recta intentio; Tertio, dicit S. Doctor, requiritur, ut sit intentio bellanum recta, qua scilicet intenditur vel ut bonum promovetur, vel ut malum vitetur; & hæc tertia requisita conditio colligitur ex cap. Apud veros 6. caus. 23. q. 1. ubi ex verbis S. Augustini sic habetur: *Apud veros Dei cultores etiam ipsa bella pacata sunt, que non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coercerentur, & boni subicerentur.*

Istis tribus imerveniens conditionibus potest justè bellum institui; cum hoc tamen, quod priusquam bellum instituat, debet proponi, & indicari causa parti adversæ, quæ si offerat convenientem satisfactionem, debet acceptari, nec potest justè bellum inferri, nisi negata satisfactio; bellum enim debet semper esse ultimum remedium injuriæ vindicandæ, vel juris recuperandæ, quia bellare non voluntatis, sed necessitatis est: cap. Noli 3. caus. 23. q. 1. ubi ex verbis S. Augustini sic præcisè habetur: *Pacem debet habere voluntas, bellum necessitas, propter ingentia mala, que secum affert bellum, cum sit perditio substantiæ corporis, & animæ, ut in Authenti de armis in princip. & notat Gloss. 1. in l. unic. Cod. publicæ lætitia lib. 12. & ex annotat. ad dec. 29. num. 9. part. 8. Rotæ Roman. Bellum vero Bellum est, & omnis devoratur.* Et per hoc sic præcipit Deus Deuter. 20. n. 10. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offer-*

res ei primum pacem. Et Jud. 20. num. 12. *Filii Israel miserunt nuntios ad omnem iribum Benjamin, ut traderent viros de Gabaa ad satisfaciendum injuria illata uxori Levite priusquam bellum inferrent.* Et quod bellum antequam instituat, debeat prius indicari, habetur ex cap. Justum est 1. caus. 23. q. 2. ubi ex verbis S. Isidori sic dicitur: *Justum est bellum, quod ex editio geritur, & Gloss. ibi à Edilio, in codicibus Isidori, & in manuscrip- tis legitur ex prædilo, citat enim Cleonem ex libris de Rep. qui negat, justum esse bellum, nisi denuntiatum, nisi indicatum.*

Ut autem ab omnibus præ oculis habeantur justæ causæ in particulari, propter quas potest bellum indicari, & inferri, satius duxi hic præcipuas adducere. Primo, ut recuperetur civitas, vel provincia ab hostibus capta; textu claro in c. Justum est 1. caus. 23. q. 2. ubi: *Justum est bellum, quod ex editio geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hostium causa.* Secundo, ut Subditi, & Vassalli & rebelles ad debitam obedientiam redigantur: *Qui enim resistit potestati, Dei ordinationi resistit;* ad Roman. cap. 13. num. 2. & habetur exemplum in 3. Reg. cap. 20. n. 21. ubi fuit institutum prelium contra Abelaïm Davidi rebellem, ubi: *Hom. de mont. Ephraim. Sobu, filius Bochi cognomine, levavit manum suam contra regem David: tradidit illum solum, & recedens à civitate. Et expresse habetur in cap. Noli 3. caus. 23. q. 1. his præcisè verbis S. Augustini; *Rebellanti, & resistenti violentia reddatur;* Et hæc ratio movendi bellum tamquam legitima iterum comprobatur auctoritate ejusdem Divi Augustini cap. Quod culpatur 4. caus. 23. q. 1. Tertio, ut obtineantur, quæ jure gentium permessa sunt, & per injuriam denegantur, ut est v. g. transitus sine mora, & sine nocimento pro unam regionem in aliam, & ob hanc causam Israelite justum bellum moverunt contra Amorrhæos; Numer. cap. 21. n. 2. & seq. & pro justo laudatur in cap. Notandum 3. caus. 13. q. 2. præcisè istis verbis S. Augustini: *Notandum est sane, quemadmodum justa bella gerebantur à filiis Israel contra Amorrhæos, innoxius enim transitus denegabatur, qui jure humane societatis æquissimo patere debebat.* Quarto, ad vindicandam gravem contumeliam principis, vel reipublicæ illatam, ut fecit David, 2. Regum cap. 10. num. 4. & seq. contra Hanonem Regem Ammonitarum pro illata injuria suis Legatis in radendo didimiam partem barbe eorum, & præcidendo vestes eorum medias usque ad nates. Quinto, ad ultionem sumendam de rege, vel republica, qui hosti injustum bellum gerenti auxilium præbet, ut fecit pariter David contra Syriam Damasci auxilium ferentem Adarezer Regi Soba, 2. Reg. cap. 8. num. 5. Venit quoque Syria Damasci, ut præsidium ferret Adarezer Regi Soba: & percussit David de Syria viginti duo milia virorum, Sexto, ad vindictam sumendam contra eos, qui injuste prohibent, ne puniantur rei, & nocentes, quod puniri reipublice multum interest, ut patet Judic. c. 20. n. 8. & seq. de bello moto à reliquis tribubus Israel contra tribum Benjamin, quia volebat puniri homines de Gabaa, qui immane scelus commiserant in uxorem Levitæ: ubi: *Et postquam pugnare contra Gabaa Benjamin, & reddere ei re sceleris, quod meretur. Septimo, ad vindicandos eos, qui cum rege, vel republica initum scelus violarunt gravi illius damno, y dedecore, ut patet 4. Reg. cap. 3. n. 5. & seq. ubi ut præcisè dicitur in ejus summario, ob præcurricatum à Rege Moab Jæhu, quod cum rege Israel habebat, ascendit adversus illum rex Israel, rex Juda, & rex Edom, Octavo, ut sociis, & confederatis auxilium justum feratur, ut fecit Abram Genesis cap. 14. n. 14. & seq. pro sibi confederatis regibus Sodomorum, & Gomorrhæ, & Lot filio fratris sui, ubi: *Hi enim pepigerant fœdum cum Abram. Quod cum audisset Abram, capium videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditio vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est eos usque Dan, & divitibus sociis irruit super eos nocte, percussitque eos.* Nono, licitum est bellum contra hæreticos, aut subditos lapsos in hæresim, & alios secum trahentes, aque dissensionem, & rebellionem in regno, vel provincia excitantes, ut colligitur ex cap. Quid culpatur 4. caus. 23. q. 1. De-**

cimo, licet bellum indicare infidelibus, si prædicationem evangelii impediunt, & Prædicatores fidei transiunt ad alias provincias denegent, quia sic faciunt contra Jus, quod à Christo habet ecclesia evangelizandi ubique; Marci 16. n. 15. *Euntes in mundum universum, prædicat evangelium omni creature.* Ob solam tamen infidelitatem non posse ad quem bellum indicare infidelibus, neque etiam ex licentia Papæ, docent Diana part. 6. r. 4. res. sol. 15. Mol. tom. 1. disp. 105. & 106. Coningh. dis. 31. de bello dub. 2. num. 54. Castro Palaua tom. 1. r. 1. r. 6. disp. 5. panct. 3. n. 7. & alii. Si vero apud infideles sit usus humane carnis, immolatio innocentium, aut similia, possunt propter ea sola debellari, etiam nemo ex illis innocentibus auxilium imploret, & singuli sua sorte contenti vivere dicantur; Molina tom. 1. r. 3. disp. 106. Bannez in 2. 2. q. 10. art. 10. Victoria Relect. 2. de Indis, n. 15. Husted. de Mend. volam. 11. disp. 75. sect. 1. §. 22. Immo pro sola idololatriam, & violationem juris nature id permittunt multi, saltem accedente licentia Pontificis, & quotiescumque moniti ab his non desistant; Innocentius in cap. Quod super, de voto n. 4. §. 9. & ibi Ancharanus, & Abbas idem Ancharanus, & Boichus in cap. Gaudemus, de divorciis; Zabarella in Clement. 1. de rescrip. m. 6. Silvester de Judæis num. 4. v. Infidelitas q. 8. §. 9. & v. Papa q. 7. Armilla v. Infidelitas Tabiena cod. v. n. 32. & 33. Major in 21. sent. dist. 44. q. 3. & in 4. sent. dist. 15. q. 4. art. 1. Mastrius de Magistrat. lib. 1. c. 9. n. 10. Jo. Solorz. de Indiis. jure lib. 2. c. 15. n. 26. & alii. Bellum licet non possit esse ex utraque parte justum materialiter, & à parte rei, quæ realiter, & à parte rei soli uni parti potest competere Jus; potest tamen ex utraque parte esse justum formaliter; quatenus unus certo judicat habere Jus certum ad certam ad rem, & revera habeat, & alter certo judicat idem esse cum invincibili ignorantia Juris certi alterius; cum enim ex utraque parte facta diligenti discussione possint esse causæ, & rationes probabiles de jure, vel injuria, potest ab utraque parte justè bellum institui, quia quilibet in praxi tuto sequitur opinionem sibi vere probabilem. Sic Josue justè debellebat ex imperio Dei Amorrhæos, aliasque gentes, dum illa ignorantes invincibiliter id jus, quod Deus potest liberè de regnis disponere, justè se defendebant; Abulensis ad cap. 17. Josue. ¶

Non omnes fortasse Jurisconsulti, ne quid de Sacris verisque Theologis dicam, huic subscribent sententiæ, posse videlicet bellum institui ab eo, qui opinione dumtaxat probabilis pro ejus justitia ducitur. Sane Grotius Jurisperitorum facile princeps, contrarium statuit, firmatque l. 2. de Jur. Belli & Pac. cap. 23. §. 4. ubi postquam ex Aristotele probabilia esse ait, que omnibus videntur, aut plurimis, aut certe sapientibus, prosequitur: *Sicut in facti quæstionibus id pro vero habetur, unde plures maxime idonei stant testes, ita sententiarum meas sequendas, que plurimis præstantissimisque nitarunt auctoribus. Affert veteram Romanorum, Christianorumque exemplum: Sic Romani veteres, non nisi consulto collegio Fecigillum ad id instituto; Imperatores Christianiani vix nisi auditis Episcopis, bella suscipiebant. Tandem §. 5. regulam prohibet generalem; Accidit autem, inquit, in multis controversiis potest, ut ab utraque parte favorabilia se ostendunt argumenta, sive intrinseca, sive ab aliorum auctoritate. Quid tum factu opus est? Respondet Vir Clar. Id cum accidit, si res mediocres sunt, de quibus agitur, videtur vitio carere posse electione, intrinseca partem ceciderit. At, si de re magni momenti, præferenda est pars tutior. Hoc dato principio, concludit §. 6. Maximi momenti est bellum, ut ex quo mala plurima etiam in innocentes sequi soleant. Ideo inter sententias alternantes vergendum ad pacem. ¶*

Sic cum praxi Doctores communiter. Licet autem sufficiat opinio probabilis pro justitia belli; si tamen justitia maneat æqualiter dubia, & alter sit in possessione, non licet ei bellum indicare, cum melior sit conditio possidentis: Subditi autem in dubio de justitia belli pro Rege ab bellum eos vocante præsumere, eique parere & militare possunt, dummodo certo non constet, causam esse injustam; habetur expresse in cap. Quid culpatur 5. caus. 23.